

2. Aqua fortis affusa lithargyrio dulcedinem acquirit: Marti, stipticum saporem: Lunæ, nauseabundam amaritiam.

3. Corallia soluta in Aceto, vel alio liquore acido amarescunt.

4. Amara intensissima, ut colocynthis, aloe, myrrha, soluta in lixivio & spiritu vini extracta, mirifice deponunt suam amaritiam.

5. Spiritus falis ammoniaci penetrantissimi odoris, affuso acido omnem odorem amittit: Si autem mixturæ additur calx viva, vel sal tartari, protinus pristinus odor nares ferit.

6. Spiritus Sulphuris fumans foetidissimi odoris adjecto mercurio & prævia agitatione sufficiente, exuit foetorem suum: Spiritus nitri, aqua fortis ingrati odoris, si miscetur cum spiritu vini rectificato & destillatio instituitur, tunc liquor odoris suavissimi emergit: idem fit cum oleo vitrioli, ubi liquor odoris & saporis aromatici penetrantissimi provenit.

DEMONSTRATIO XLIII.

Frigus motu penetrantissimo rectilineo, aqueas partes coagulat, illasque in motu suo intestino sistit.

*Experimenta.*

1. Demonstratio fiat, quomodo brevissimo temporis spatio aqua etiam in hypocausto calido statim converti in glaciem possit, & quidem mediante sale communi, sale ammoniaco, sale tartari, spiritu vini rectificatissimo.

2. Nitrum & sal ammoniacum injectum aquæ æstatis tempore cerevisiam, vinum in lagenis contentum refrige-